

DE LUCRETI PROOEMIIS

Multa illa lumina ingenii, quae in Lucreti poematis inesse Quinto fratri Tullius Marcus facile concedit, cum de arte aliter atque ille censeat¹, in iis potissimum partibus cognosci consentaneum est, quibus nec disciplinae quam profitebatur legibus tenebatur nec patrii sermonis egestate laborabat poeta: ac qui eius ingenium artemque mirantur, singulari laude dignos fere putant eos locos, quibus ut sententiam aliquam illustret, simile quiddam infert aut ex usu hominum aut beluarum plantarumve vita petitum, quos et subtilitate et elegantia praestare intellegentes in hac re existimatores consentiunt. Nec minorem prae se ferre videntur praestantiam singulorum librorum exordia, quae ut fere fiebat antiquis temporibus² a poeta seorsum composita esse neque arto vinculo cum ipsorum quibus praefigebantur librorum argumento contineri facile apparet. Quae res ut in eo prooemio, quod et primi libri et totius operis esse voluit Lucretius, laudari fere solet, ita non minus in ceteris observatur, quamquam illud prooemium et multo maiorem habet artem et interpretem³ habuit elegantem, qui singulari subtilitate, quid quoque loco esset insigne, ac potissimum quibus rationibus singulae inter se continerentur partes, aperuit. Cuius ingressus vestigiis Reitzen-

¹ Q. fr. II 9 (11). 3: *multis luminibus ingenii, multae tamen artis*. Fratrum enim dissensum significari, non rerum (Norden KP I p. 182. 1) verbis quae secuntur: *sed cum veneris* — demonstrari videtur; cf. Hendrickson Am. Journ. of Philol. XXII (1902) p. 438. Tota epistula cum festinatio sive animi quidam motus cognoscatur, genus dicendi simile est atque in iis quibus scribit: *sed haec coram Att. II 9. 3, 17. 3, III 4 aut sed haec posterius IV 4 b*.

² Cicero quidem, id quod M. Antonium (de or. II 315) facit praecipientem, postremum solebat cogitare, quo uteretur exordio. Cf. Att. XVI 6. 4.

³ Vahlen, Berl. S.-Ber. 1877 p. 479 sqq.

stein¹ cum demonstraverit, quam bene tria illa, quae versibus 21, 22, 23 indicantur, convenient cum superioribus Veneris laudibus (vv. 2—4, 4—5, 6—9), de hac parte iam non dubitandum videtur; cui aptissime poetam subiunxisse versus 50 sqq., quibus adloquitur Memmium illum ipsum, cui se versus scribere modo professus est (vv. 25 sq.), cui a dea patrona pacem (vv. 40, 42 sq.) petivit, ut semotum hic a curis animum adhibere possit ad veram rationem (v. 51), idem Vahlenus luculenter ostendit. Qui quod vituperatoribus hoc unum concedit cogitare sane licere de prooemio ita composito, ut omissis versibus 62—148 laudatam et invocatam Venerem, appellatum Memmium, significatum carminis argumentum exciperent versus: *principium cuius hinc nobis caordia sumet nullam rem e nilo gigni divinitus umquam*, quibus ad ipsam rem agendam accedit poeta, obiter difficultatem quandam significavit, de qua accuratius quaerendum videtur comparatis ceterorum librorum prooemiis. Qua de re disputantes non poterimus non eo induci, ut de quarti libri prooemio statuamus, de quo adhuc dissenso est, etsi de hac quoque re Vahlenus², quid sibi videretur, et dixit et rationibus a rerum similitudine petitis confirmavit.

Atque quoniam Lucretium totam materiem ita disposuisse apparet, ut ter binis libris de rerum natura scriberet utque primo libro cum altero, tertio cum quarto, quinto cum sexto artior ratio intercederet, ac quoniam de primi et quarti libri prooemiis singulares sunt dubitationes, e re nostra erit exordium capere a quinti et sexti libri prooemiis. Namque si re vera id fuit poetae consilium, ut singulorum inter se prooemiorum esset quaedam ratio, hoc modo et facillime et rectissime elucebit. Iam vero quinti libri prooemium hoc primum habet singulare, quod primis versibus (v. 2 *hisque repertis*, v. 4 *talia praemia*, v. 7 *maiestas cognita rerum*) poeta aperte respicit ad ea, quae superioribus libris exposuit³; quae contemplatus eo inducitur, ut eorum inventorem vere deum praedicet (v. 8): hac autem laude, qua maior cogitari non posse videtur, eum propterea dignum putat, quia vitam hominum tam tranquillam reddidit (v. 12) dulcibus solaciis per omnes gentes divolgatis (vv. 20 sq.) et sublatis cupiditatibus

¹ Drei Vermuthungen z. Gesch. d. röm. Litt. Marburg 1894 p. 44 sqq.

² p. 481. 2.

³ Nisi forte haec ad superiora prooemia rectius referuntur; cf. infra p. 8. 1.

(vv. 49 sqq.). Prae his meritis nihili esse videntur quae Ceres Liberque hominibus tribuerunt bona, panis vinumque (vv. 14 sq.), nihili Hercules quae feruntur in humanum genus merita, quae non sine quadam irrisione enumerat (cf. *magnus hiatus leonis* v. 24, *horrens sus* v. 25, *serpens arboris amplexus stirpem* [scilicet innoxius nisi lacessitus] v. 34) omissis iis e duodecim laboribus, quos ne licebat quidem dicere cum hominum commodo peractos esse velut stercus ex Augiae stabulis sublatum aut Cerberum ex inferis ad lucem protractum. Ter igitur quoniam Epicurum deum appellavit (vv. 8, 19, 51), eum vel propterea ita appellandum esse addit (vv. 52 sqq.), quod de ipsis dis vera divinitus praedicaverit, id quod facilius quam verius dictum esse apparet neque additum, nisi ut transitio fieret ad ea quae secuntur, in quibus est de falsa deorum opinione tollenda (vv. 81, 82, 87). Neque illis laudibus, quamvis non convenire videantur cum Epicuri de dis doctrina, Lucretium a consuetudine Epicureorum discessisse testes multi sunt¹. — Iam vero sexti libri prooemium ipsum quoque in Epicuri laudibus versatur, ac non possumus non mirari, quod illis laudibus, quas quinto scripserat, etiam quicquam addere licere aut novum quicquam, quod maius esse debebat, proferre se posse poeta putaverit. Quam ob rem eo accuratius eius sententiae examinandae sunt. Atque repetitionis aut imminutae laudis opprobrium eo vitavit, quod non ab ipso Epicuro, cuius nomine omnino verecundia inductus abstinet in his laudibus, sed ab Athenarum urbe proficiscitur, cuius tria in genus humanum praedicat merita, primum quod agri culturam homines docuerit, deinde quod leges invenerit, denique quod genuerit Epicurum. Iterum igitur Epicuri merita cum aliis composuit neque iisdem interdum vocabulis in utroque prooemio uti dubitavit²: tamen cum illic Cereris donum cum Liberi coniunxerit atque utroque homines facile carere dixerit (V 14 sqq.), hic non dubitare videtur, quin frugipari fetus, quos primae mortalibus aegris dididerint Athenae (VI 1 sq.), ad vitam humanam omnino necessarii sint, nec minus vitam legibus profitetur esse recreatam (VI 3), ut tum

¹ Cf. praeter locos ab interpretibus allatos Cic. nat. deor. I 43: *ea qui consideret quam inconsulte ac temere dicantur, venerari Epicurum et in eorum ipsorum numero de quibus haec quaestio est, habere debeat*; ubi Cicero simili atque Lucretius festivitate utitur. Eandem figuram habet Platonis illud Phaedr. 247 C: *τολμητέον τό γε ἀληθές εἰπεῖν, ἄλλως τε καὶ περὶ ἀληθείας λέγοντα*.

² Lucr. ed. Giussani vol. IV p. 176.

demum locus esset dulcibus illis solaciis, quae Epicurus hominibus tribuisset. Scilicet iis quae inter utrumque prooemium id est libro quinto exposuit, legentes docuit de primo hominum statu, quo beluarum ritu vitam degebant, de inventa agri cultura, de legibus iuribusque constitutis¹. Atque quod extremo illo libro (V 1457) significavit summum pedetemptim progredientium cacumen, ad id eos venisse per Epicurum iam profitetur. Quare cum in Epicuro idem tum laudet quod in superioris libri prooemio, tamen hoc novum accedit, quod demonstrat Epicurum hominum illud ad summum bonum tendentium iter quasi perfecisse atque absolvisse, ut iam iis liceat vere beatis esse neque quicquam ultra sit exspectandum. Quoniam igitur quinto prooemio Epicurus iure deus dicitur, quippe qui summo quodam bono homines donaverit ac ceterorum, qui di ferantur, dona longe superaverit, sexto etiam supra deos effertur, utpote qui non una aut altera re de hominibus bene meruerit, sed eorum incrementa et progressionem ad finem perduxerit. Quod quo magis illustretur, data opera et certo consilio ita egisse (vv. 9 sqq.) dicitur, ut perspectis iis, quae iam assecuti essent homines, intellegeret, quid desideraretur, atque his curis et laboribus mederetur. Atque quoniam quinti (nec minus sexti) libri summa in eo versatur, ut quaecumque in mundo fiant, non deorum opera, sed naturae legibus fieri confirmetur, et quoniam saepius Epicuri de deorum securitate et rerum humanarum neglegentia sententiam poeta professus est, non iam licebat Epicurum laudare tributa dignitate divina, immo eius opus adserere decebat singulis gradibus, quibus natura duce homines ad vitam vere beatam progressi viderentur. Non deus igitur, sed nescio quid maius quam di quos volgus credebat merito est praedicandus. Quod si recte de hoc prooemio statuimus, nisi extremo libro non esse aptum intellegimus neque iam sine certo quodam consilio hic Lucretium eundem quem superiore prooemio deum dixit, extinctum dicere (VI 7) censemus, cuius tamen propter divina reperta ad caelum gloria feratur. Dixerit quispiam argutius haec omnia quam verius excogitata esse ac sane Lucretium in componendo sexto prooemio rationem habuisse rerum libro quinto explicatarum, non habuisse

¹ Sane id intercedit, quod illic est de re publica legibus temperata ante agri culturam (1361 sqq.): at poeta pro eo quod sibi proposuit illic sequitur veram quam dicere consuevit rationem, hic (VI 1 sqq.) communem hominum opinionem.

ipsius quinti prooemii: at et repetitis locutionibus legentium animos eo advertit, de qua re supra Giussanium testem citavimus, et repetita in altera exordii parte serie versuum 58—66 (= V 82—90), siquidem non licet separare ab ipsis illis prooemiis alteras exordiorum partes, quibus poeta quid iam peregerit quidque acturus sit significare solet, quas cum prooemio unum efficere exordium ipse ostendit invocata post alteram partem Musa in sexti libri initio (vv. 92 sqq.); qua re ipsa quoque huic exordio singularem esse locum indicavit. — Praeterea nisi ita ut explicavimus de his prooemiis sensit, quidni eorum ordinem invertit, ut potius in quinto diceret de iis Epicuri meritis quae artissime coniuncta sunt cum iis rebus, de quibus dicturus erat, in sexto atque extremo eam Epicuro impertiret laudem, quae summa esse fere videtur? Neque enim eo impeditum eum esse, quod sibi videretur ante sextum exordium dicendum fuisse de inventa agri cultura atque inventis legibus, ipse indicat, cum haec bona non a natura, sed ab Athenis hominibus data esse dicit neque eum tenet ordinem, qui quinto libro erat propositus¹.

Quodsi quae ratio inter quinti et sexti libri prooemia intercedat, intelleximus, iam quaerendum est, similene quicquam in ceteris prooemiis cognoscatur. Qua in re primum illud observatur prooemia prioris cuiusque libri e tribus illis paribus exordium capere a persona Epicuri (I 66²) *Graius homo*, III 3 *Graiae gentis decus*, V 8 *deus ille fuit*) atque omnino in eius laudibus versari, ceterorum librorum rationem aliam esse, siquidem in altero est de beata vita vere sapientis, in quarto de ipsius poetae laude, in sexto etsi Epicuri laudes non absunt, tamen ita inferuntur, ut potius inter Athenarum in genus humanum merita numerentur³. In aperto igitur est librorum I III V prooemiorum argumenta traxisse Lucretium a persona, ceterorum librorum a rebus. Qua ipsa re efficitur et versus e primo libro petitos (I 926 sqq.) quarto praescriptos (IV 1—25) huic rationi bene convenire et poetam, ut sexti libri exordium caperet ab urbe

¹ Cf. supra p. 36. 1.

² In hac enim re abstinendum est a versibus I 1—61, qui ad totum opus pertinent neque quicquam in ceteris libris habent quod respondeat praeter versus illos sexti libri exordio subiunctos, quibus invocatur callida Musa Calliope VI 92 sqq.

³ Quod quo clarius eluceat, conferto inter se V 19 sqq. et VI 4: illic enim *dulcia solacia vitae* ex Epicuro permulcere animos, hic eadem mortalibus aegris ab Athenis primis data esse dicuntur.

Athenarum praedicanda, eadem ratione inductum esse. Omnis vero haec ratio tum demum omnibus numeris probata videbitur, cum demonstratum erit eadem illa, quae de quinto sextoque prooemio reperire nobis visi sumus, non minus valere de primo alteroque et tertio quartoque. Quod si efficietur, sane et de quarto certius constabit et de primo poetae consilium clarius illustrabitur. Atque ut a tertio prooemio proficiscamur, poetam primis versibus se sequi Epicurum profitentem videmus avidum imitandi, non certandi cupidum: quasi patrem eum veneratur, qui patria praecepta, aurea dicta hominibus suppeditaverit. Id igitur in Epicuro potissimum praedicat, quod veram rationem cum hominibus omnibus communicaverit, ita eorum mentes recreaverit, deorum inferorumque metum sustulerit, vitam divina voluptate perfuderit. Itaque quoniam Epicurum laudat ut ὑποφῆτην verae rationis, se autem eius imitatore[m] infert, quasi eandem sententiam continuare videtur quarti libri prooemio, quo sibi iam propter ipsa illa merita coronam inde petit, unde prius nulli velarunt tempora Musae (IV 5). Scilicet Epicuri opus quasi quodam modo absolvisse sibi videtur, cum hominibus Romanis aditum facilem et commodum aperuerit ad veram illam rationem ab Epicuro et aliena lingua et obscura hominibus nuntiatam. — Artissimo igitur haec duo prooemia inter se contineri vinculo cognoscimus, atque quoniam quartum bene respondere rationi, quam in ceteris alterius cuiusque libri prooemiis poeta secutus est, supra cognovimus nec minus argumentis aliunde petitis Vahlenum eandem sententiam confirmasse supra diximus, iam non dubitandum videtur, quin ab ipso poeta quarti libri exordium scriptum habeamus. Iam vero ut in existimandis quinti et sexti libri prooemiis cognovimus poetam in iis aliquam rationem habere librorum superiorum, non minus facile intellegimus eas res, quas in his tertio et quarto prooemio exponit, non licuisse proferri nisi ante edito specimine et doctrinae Epicureae et artis Lucretianae superatisque illis difficultatibus, de quibus dixit (I 136 sq.)

nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
difficile inlustrare Latinis versibus esse.

Quo fit, ut poetae quartum prooemium aptum videretur et extremae primi libri parti (I 926 sqq.) et exordio huius libri inferioris, nobis quidem praesertim in comparisonem vocato Horati carmine III 30 aptum etiam videri possit extremo libro, nisi quod tunc abstinendum erat versibus, quibus ibi Musam ut se adiuvet implorat ac dicit (†VI 95)

te duce ut insigni capiam cum laude coronam.

His autem ipsis rebus etiam atque etiam confirmari videtur quartum librum suum ac iustum habere prooemium. Quod si tenemus, tamen a ceteris discrepare non negamus, primum eo quod de se ipse poeta dicit, deinde quod neque Epicurum laudat neque eius doctrinam, nisi quod doctrinae laus inest in similitudine illa qua taetris absinthiiis puerorum valetudo recreari dicitur, postremo quod apparet hos versus scriptos esse primo libro atque inde petitos huic libro praescriptos¹.

Restat ut de primi alteriusque libri prooemiis quaeramus; qua in re abstinendum esse a versibus I 1—61 supra est significatum². Quae secuntur, iis poeta Epicurum laudat quod e miseria vitae humanae erectus de rerum natura vera investigaverit atque a religionis formidinibus homines liberaverit, ut iam nec deorum metus nec mortis valeat. Sublatis igitur summis vitae humanae malis homines vere beatos reddidit, siquidem secundum Epicurum ὄρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἢ παντὸς τοῦ ἀλγούντος ὑπεξαίρεσις³. Hanc autem ipsam beatam vitam accuratius describit ac cum ceterorum hominum miseria componit alterius libri prooemio: hoc igitur non minus bene primi sententias continuari atque absolvi cognoscimus, quam tertio prooemio quartum adplicari supra intelleximus. Ergo quam in quinto et sexto prooemio non sine aliqua difficultate perspicere licuit rationem, ea in primo alteroque et tertio quartoque tam facile agnoscitur, ut quasi ultro offerri videatur. Quae cum ita sint, vere poetae in componendis prooemiis consilium assecuti esse nobis videmur.

Neque tamen quod suscepimus negotium perfecisse nos apparet, nisi quae inter omnia illa deinceps prooemia intercedat ratio demonstraverimus, id quod facili iam negotio praestare licet. Atque ut hac quoque in re instituto itinere cancri ritum imitemur, sexto prooemio Epicuri doctrina hominum cultum perfici atque absolvi discimus, namque ceterorum beneficia in genus humanum collata prae illius nihil valere (V): ad homines autem pervenerunt⁴ illa beneficia luculentis Lucreti versibus (IV), qui

¹ Ita vera est quam Heinze (Lucr. l. III p. 47) profitetur sententia quarto libro poetam suum prooemium non scripsisse.

² p. 37. 2.

³ Sent. sel. III; p. 72. 1 Usener.

⁴ V 20 *per magnas didita gentis*, VI 8 *divolgata gloria*.

patria Epicuri praecepta expressit (III); quibus veram hominibus beatitudinem praestat (II) sublatis religionis terroribus (I). Sive ut iusto ordine singulorum prooemiorum summam singulis comprehendamus sententiis: Epicurus a veris malis homines liberavit (I): qua re vita vere sapientium beata est (II): hanc doctrinam omnibus impertivit (III): quam Lucretius operam persecutus hominibus Romanis aperuit (IV): his meritis omnium ceterorum merita superavit Epicurus, deus vere appellandus (V): quin etiam hominum ad vitam beatam tendentium studia perfecit atque absolvit (VI).

His poetae rationibus ac consiliis detectis iam elucet, quo iure Vahlenus senserit cogitari licere de prooemio primi libri ita composito, ut versus abessent I 62—146 et pronomen *cuius*, quod est in versu 149, referretur ad eam rationem, de qua est in versu 59, etsi quae ita oriatur difficultas non dissimulat. Namque partem illam, qua Venerem invocat et Memmium ut animum advertat hortatur, totius operis esse prooemium poetam voluisse apparet, cetera eum addidisse, ne primo libro suum prooemium desideraretur. Quare huius partis noluit cum superioribus artiozem esse iuncturam, ac similiter exorsus est atque in tertio libro vv. 1 sqq.

e tenebris tantis tam clarum extollere lumen
qui primus potuisti inlustrans commoda vitae,
te sequor,

quamquam de tenebris et de illustratis vitae commodis non dixit nisi in primi et alterius libri prooemiis¹. Tamen una restat dubitatio: namque quae vv. I 136—145 scribit de difficultate rei susceptae et patrii sermonis egestate, ad totum opus potius quam ad primum librum cum pertineant, non defuere, qui hanc partem aut transponendam aut alteri prooemii conformationi tribuendam putarent. At huic ipsi loco illos versus aptissimos esse, quod antequam de Graio repertore disciplinae dictum esset (v. 66), non liceret de Graiorum repertis dici, ac falsa specie in errorem induci quicumque hos versus cum iis qui sunt de atomis nominandis (I 58 sqq.) iungendos existimarent Vahlenus ostendit: neque quae secuntur omissis illis bene se haberent, siquidem ante versum 146 non solum desideratur significatio terroris, quae

¹ Cf. V 11 sq.: *fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris in tam tranquillo et tam clara luce locavit*. Forsitan igitur ea, quae supra (p. 2) ad superiores libros rettulimus, rectius referamus ad prooemia.

est in versu 133, sed etiam tenebrarum, ad quas animum advē-
tunt quae sunt in versibus 136 *obscura reperta*, 137 *illustrare*,
144 *clara praepandere lumina*, 145 *res quibus occultas penitus*
convisere possis. Quae cum ita sint, Lucretium cognoscimus rem
ita instituisse, ut unum prooemium et totius operis et primi libri
esset, siquidem quae Epicuri laudandi causa exponit, ita exponit,
ut non minus apte in totius operis exordio legantur.

Carmine igitur aut omnino aut maiorem partem perfecto —
namque e medio primo libro quartum prooemium petivit — suum
cuique libro prooemium ita composuisse poetam intelleximus, ut
certo quodam consilio deinceps inter se exciperent. Sed haud
scio an in indaganda eius ratione etiam altius progredi liceat.
Namque iam supra in enarrando sexto prooemio intelleximus non
separandos ab ipsis prooemiis esse eas exordiorum partes, quibus
poeta superiorum librorum argumenta comprehendere et novi libri
argumentum breviter indicare solet: ipse enim post hanc alteram
sexti exordii partem Musam invocat atque hunc demum exordii
finem esse ostendit. Quas partes aut non esse aut minoris esse
spatii in primo alteroque libro consentaneum est (II 62—66), in
ceteris maiores sunt III 31—93, IV 26—41 (45), V 55—90,
VI 43—91. Quas si accuratius spectamus atque inter se com-
paramus, primum observamus aliquot versus plurium esse com-
munes: namque iidem versus et primi (146—148) et alterius
(59—61) et sexti (39—41) prooemii exitum efficiunt et in tertio
libro extremi sunt totius exordii (91—93); praeterea in altero,
tertio, sexto libro hi versus adplicantur iisdem, qui sunt de homi-
num verae rationis expertium cum pueris similitudine (II 55—58,
III 87—90, VI 35—38). Atque eadem res iterum observatur
in versibus V 82—90 et VI 58—66: nam horum versuum tres
exeuntes (V 88—90, VI 64—66) inveniuntur in primi libri proe-
mio I 75—77, praeterea I 594—596. Huic igitur rei si animum
attendimus atque quaerimus, cui loco illos versus primum com-
positos atque inde in ceteros locos translatos esse credendum sit,
aliquot certe gradus, quos poeta ad perficiendum opus fecit, in-
dagamus ac de tota via qua profectus est, de itinere facto, de
fine quo pervenit rectius iudicare possumus. Atque versus
I 146—148 illi loco non admodum bene convenire supra intel-
legere licuit¹, neque facere possumus quin adsentiamur Giussanio²,

¹ Nimio enim artificio versus 146 adplicatur superioribus.

² Lucr. ed. Giussani vol. II p. 5.

qui alteram sententiam (*non radii solis nec lucida tela diei dis-
cutiant*) paene ineptam censet, quoniam supra de animi tenebris
et superstitionum terroribus scriptum est: at optime convenit
ceteris locis ubi adplicatur similitudini illi, quae intercedit homi-
nibus cum pueris, qui in tenebris vanis terroribus commoventur.
Restat igitur quaerendum, cui e tribus illis libris haec tota pars
scripta sit, alteri an tertio an sexto: qua in re dissentiendum
videtur a Giussanio¹, qui ea in sexto libro aptissime prooemium
absolvi, ceteris locis non sine quadam violentia additam eam esse
censet. Atque de altero libro hoc facile conceditur: namque
versu 54 *omnis cum in tenebris praesertim vita laboret*, qui ex
superioribus non bene aptus est², poeta ipse indicium fecit, quo
cognoscimus non sine artificio hic adiunctam esse similitudinem.
Difficilius est diiudicare inter tertium et sextum librum; sed si
accurate et superiorum et inferiorum sententiarum rationem habe-
mus, haud scio an eo perveniamus, ut ex tertio libro in sextum
eos versus translatos putemus. De tenebris enim et terroribus
in tertio libro multo saepius atque apertius ante dictum est quam
in sexto: laudatur initio (III 1) Epicurus, quod e *tenebris* tantis
tam clarum extolleré *lumen* potuerit, quo diffugiant *animi terrores*
(v. 16), atque tota altera exordii pars (vv. 31—86) scripta est,
ut demonstretur, quot et quanta e *vanis* Acheruntis *terroribus*
hominibus oriantur mala³; at in sexto libro nec tenebrarum antea

¹ Vol. II p. 3.

² Nisi quis provocat ad versum 15, in quo est de tenebris: quae
ipsae quoniam ceteris omnibus qui intercedunt versibus explicantur, ne
licebat quidem iusto iure hoc loco easdem ita adferre, ut novum argu-
mentum subiungi videatur.

³ Ex his malis post voluntariam mortem extremo loco adfertur
neglecta erga parentes, amicos, patriam pietas (vv. 83—86): quare post
v. 82 interpungendum est (ita Heinze); nova enim infertur versu 83 sen-
tentia, siquidem haec non obliti sunt homines, qui ipsi sibi mortem con-
sciscunt; tamen quae in hoc versu sunt pronomina *hunc . . . , hunc* ad eun-
dem timorem referenda sunt, non interpretanda de hominibus: nam si hoc
voluisset poeta, omnem ambiguitatem vitare poterat ac scribere *huic . . . ,
huic*. Quare verbum *suaedet* stare nequit, neque probari potest novissima
emendandi ratio perquam elegans, qua Stampini proposuit scribendum
esse *sua vi* (Riv. di filol. 1902 p. 315 sqq., Brieger Bursian-Kroll
Jahresb. XXXIII 1906 Bd. 126 p. 11). Scripsisse videtur poeta *claret*
ut VI 937, quod praesertim cum optime se ei adplicet quod sequitur
argumentum, sententiae bene convenit et a ratione scripturae commen-
datur (Bernaysius quidem scripserat *clade*).

nec terroris ulla est mentio: de anxiiis hominum cordibus (v. 14), querelis (v. 16), tristibus curarum in pectore fluctibus (v. 34) sermo est, quin etiam timor non commemoratur nisi exempli causa coniunctus cum ea quae contraria est cuppedine (v. 25). Atque cum in tertio libro poeta illis versibus totum exordium elegantissime absolvat et iam transiturus sit ad *naturae speciem rationemque* explicandam (similiter atque in primo libro), in sexto non modo intercedit altera exordii pars (vv. 43—91) eaque in vano hominum metu explicando versatur, id quod aptius ante scribendum erat (ut in libro tertio), sed etiam addito versu 42 *quo magis inceptum pergam pertexere dictis*, qui supplementi speciem aperte prae se fert, artificiose magis quam eleganter utriusque partis exordii iunctura instituta est. Quae cum ita sint, poetam hos versus primum in tertio libro scripsisse atque inde non satis feliciter in sextum, etiam minus eleganter in alterum, tres versus extremos prorsus male in primum librum transtulisse efficitur.

Non idem iudicandum videtur de alteris illis versibus, quos in exordiis non semel occurrere videmus. Atque maior illa pars, quae est de deorum religionibus excitatis miraculis rerum, *quae supera caput aetheriis cernuntur in oris* (V 82—90, VI 58—66), utri loco composita in utrum translata sit, certis argumentis evinci vix potest: sed si quis eam opinionem, qua ex quinto in sextum librum translata existimetur, aliquantulo probabiliorem dicat¹, vere dicat. At extrema huius carminis pars

quid queat esse,

quid nequeat, finita potestas denique cuique

quanam sit ratione atque alte terminus haerens

cum praeterea bis in primo libro, et in exordio (vv. 75 sqq.) et infra (vv. 594 sqq.), occurrat ita mutata ut primi versus exitus sit hic: *quid possit oriri*, obiter consideranti prior conformatio videtur genuina esse, quoniam accuratius inter se respondent *quid queat esse* et *quid nequeat*, ac similiter Lucretius inter se opposuit *quid queant* et *quid nequeant* I 586 sq. Sed hoc argumentum non multum valere demonstratur multis illis locis, quibus idem promiscue utitur verbis *posse* et *quire* velut I 827 sqq., III 605 sq., V 124—145, V 731 et 736 cf. 750, 753 756, omnium maxime

¹ Giussani vol. IV p. 13 et 175: sane in quinto libro superioribus melius apta est, et in sexto versus additus (v. 67) indicio est poetam aliquod vinculum desideravisse, quo cum inferioribus iungeretur.

versu V 836 (utut de emendando altero vocabulo iudicamus) *quod tulit ut nequeat, possit quod non tulit ante*. Quare quoniam oriendi verbum multo accuratius iis respondere videtur quae sunt in proximis de finita uniuscuiusque potestate et de termino alte haerente, atque quoniam hae res potius ad omnem naturam rerum quam ad deorum dominationem referuntur, quippe quibus omnino nec potestatem in illis rebus nec terminum esse Epicurus diceret, in primo libro primum hos versus scripsisse poetam apparet: ac si quis quaerat utro loco, recte conicere respondeatur Giussanium, qui ex interiore parte libri in prooemium translatus esse censet¹: illo enim loco re vera de oriendo dicit poeta, in prooemio, etsi minus apte, licebat tamen dicere *quid queat esse*.

Duae praeterea in altera parte sexti exordii occurrunt repetitiones: namque cum versus I 153 sq. in nostris libris sunt et post VI 55 et post VI 89, tum versus VI 87—89 iidem sunt atque VI 383—385. Atque in illa repetitione, si altero loco a poeta ipso instituta est — Munro quidem aliter sentit — dubitari nequit, quin e primo libro huc translatis sint isti versus. Neque de altera videtur fieri posse, quin ex ipso libro versus petivisse et in exordio locasse poetam putemus: nam v. VI 386, quem Giussani indicio censet esse, quo cognoscatur versus illos e prooemio petitos alteri loco artificiose accommodatos esse², argumento esse propterea non potest, quia illa sententia a prooemio sane aliena, alteri loco aptissima est: illic enim non dicendum erat nisi de explicanda fulminis natura, hic de superstitione, qua fere non satis haberent ipsum fulmen spectare, sed etiam in futurum mala eo portendi opinarentur.

Iam vero ut omnium harum rerum summam faciamus, Lucretium ita egisse apparet, ut primum totam materiem singulis libris maximam partem tractaret atque absolveret, tunc componeret eas exordiorum partes, quibus superiorum librorum argumenta comprehenderet ac futuri libri argumentum indiceret, denique singula deinceps prooemia scriberet. Quo fiebat ut repeteret versus I 594 sqq. = V 88 sqq. = VI 64 sqq., I 153 sq. = VI 90 sq., VI 383 sqq. = VI 87 sqq.; I 594 sqq. = I 75 sqq. III 91 sqq. = I 146 sqq., III 87 sqq. = II 55 sqq. = VI 35 sqq.,

¹ Vol. II p. 19.

² Vol. IV p. 186. Quamquam ille non disputat nisi de versibus ex ipso libro in exordium non ab ipso poeta translatis atque hoc loco eiciendis.

I 926 sqq. = IV 1 sqq.; sive ut librorum et versuum ordinem qui nunc est teneamus I 75 sqq. petivit e I 594 sqq., I 146 sqq. e III 91 sqq., II 55 sqq. e III 87 sqq., IV 1 sqq. e I 926 sqq., V 88 sqq. e I 594 sqq., VI 35 sqq. e III 87 sqq. sive II 55 sqq., VI 64 sqq. e I 594 sqq. sive V 88 sqq., VI 87 sqq. e VI 383 sqq., VI 90 sq. e I 153 sq.

Quodsi vere conclusimus alteras fere exordiorum partes confectis ipsis libris ante proemia compositas esse, certo consilio hanc quoque rem ita instituisse poetam cognoscimus, ut de tollendo metu mortis in tertio et quarto libro, de deorum superstitione tollenda in quinto et sexto diceret: librorum enim argumentis ipsis ut ita ageret inducebatur. Tamen una restat difficultas: namque de his duabus formidinibus omnino ante dictum esse oportebat, et sane dictum est proemio primi libri: de huius igitur argumento tum iam constabat poetae, cum illas alteras exordiorum partes scriberet. Praeterea si confecto demum quinto libro versus exordii scripsit, miraculo nobis est, quod de rebus, quae in libro insunt, tam non accurate refert versibus V 65 sqq.; nam quod in sexti libri argumento significando unam ac primam rem, de qua dicturus est, tempestates (VI 82 sqq.) adferre satis habet, morem sequitur hominum antiquorum, qui prima parte nominata totum opus significabant, velut pueri coloniae Corneliae Veneriae ut Lucreti carmina se scire profiterentur parietibus inscribebant (CIL IV 3072, 3139): Aeneadam genetrix.

Monasterii Guestfalorum.

P. E. Sonnenburg.